M. Terenti Varronis

librorum de lingua latina argumentum

percensuit

C. E. L. Oxé.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vetustas pauca non depravat, multa tollit.

Varro de l. l. V 5 p. 15.

M. Terenti Varronis [1]) libri XXV [2]) de lingua latina [3]) maximam partem temporum iniuria perierunt. Omnis de illis libris disputatio cum ideo difficilis extiterit, etiam

---

[1]) Cicero Varronem *πολυγραφώτατον* nominat ep. ad. Att. XIII 18. — Isidorus inter eos qui multa scripserunt innumerabiles eum scripsisse refert libros Origg. VI 7. — Numerum librorum accuratiorem novimus ex Hieronymi catalogo quem *Ritschelius* typis exscribendum curavit et eximie illustravit in Mus. Rhen. nov. VI p. 481 sqq. „Die Schriftstellerei des M. T. Varro", ubi p. 547 omnia Varronis opera non amplius septuaginta quattuor fuisse et sexcentis viginti fere voluminibus comprehensa dixit. — Quibus se dederit studiis quibusque de rebus scripserit Varro, hisce Ciceronis locis discimus: Brut. 15, 60. ‚Varro noster diligentissimus investigator antiquitatis.' — Ib. 56, 205. ‚Fuit is (L. Aelius) omnino vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et graecis litteris et latinis; antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis, scriptorumque veterum litterate peritus. Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese vir ingenio praestans omnique doctrina pluribus et illustrioribus litteris explicavit.' — Acad. post. I 3, 9 . . . ‚nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedum regionum locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina genera officia caussas aperuisti; plurimumque poetis nostris omninoque latinis et litteris luminis attulisti et verbis, atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum.' — Studiorum et amoris coniunctionem testatur Cicero epist. ad div. XIII 10, Bruto M. Terentium commendans. Cum primum is in forum venisset, ad amicitiam se suam contulisse; fore ut Brutus et modestum hominem cognosceret et pudentem (prudentem *al.*) et a cupiditate omni remotissimum, praeterea magni laboris summaeque industriae. — Expectatione operis promissi motus idem quattuor Academicarum quaestionum libros ex posteriore recensione Varroni qui tardius faceret misit admonitores non nimis verecundos. Cf. epist. ad. div. IX 8.

[2]) Hic numerus in Hieronymi catalogo scriptus aliis quoque comprobatur testimoniis. Cf. quae de libro I infra disputavi.

[3]) In citando saepissime Varronis ad Ciceronem libri brevi nominantur. Alii sunt VII

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

difficilior librorum qui ad nostram aetatem pervenerunt condicione vehementer afflicta efficitur. Extant enim liber V VI VII de verborum latinorum originibus, tum liber VIII VIIII X de declinationum disciplina ad M. Tullium Ciceronem[4]) scripti, lacunis corruptelisque omnis generis referti; quattuor libri priores et reliqui omnes praeter perpauca fragmenta[5]) interciderunt. Quinquaginta fere computantur Varronis de l. l. codices mss. et melioris et deterioris notae; sed non modo omnes lacunas easdem verbaque misere corrupta exhibent, verum etiam omnium fons Florentinus[6]) solus saeculi undecimi, reliqui sunt quinti decimi. Quas ob caussas cum iudicium de universo hoc Varronis opere perfectum et absolutum non possis statuere, tamen sex illis libris satis multa scripta sunt quibus quid Varro voluerit praestare generatim demonstretur. Etenim neque auctor ipse quid consilii in his libris conscribendis secutus sit tacet, neque tam pauca disseruit aut tam multa perierunt, ut illud diiudicari et ea de re certi aliquid conici non possit. Quaestionem autem de his libris ita sum exsecutus, ut, argumento eorum paucis descripto, de singulis libris qui argumenti cognatione quadam inter se continentur dissererem, addita de casibus divisionibusque grammaticis a Varrone positis disputatiuncula.

(secundum Hieronymi catalogum V) libri de sermone latino quos ad Marcellum scripsit quibusque artem metricam fuisse explicatam fragmenta nobis servata ostendunt. Cf. *Ritschl* Quaestt. Varr. § 16. Mus. Rhen. nov. VI p. 524. *Wilmanns* de M. T. Varronis libris gramm. (Berol. 1864) p. 49 qui rationem quae inter libros de lingua latina et eos qui de sermone latino erant intercedat breviter ita significat, ut illis stoicorum locum *περὶ πραγμάτων*, his eorundem locum *περὶ φωνῆς* scriptor persecutus sit. Libellum quo *Usener* Wilmannsi librum recensuit mihi non praesto fuisse aegerrime tuli.

[4]) Cf. not I. — Libros II—IV Septumio miserat Varro, sequentes Ciceroni: quod cum librorum V—X inscriptio doceat, de reliquis qui cum prioribus ex dispositione totius operis arcte cohaerent dubitari nequit et confirmatur eo quod vel libri II—IV a Servio Philargyrio Diomede ad Ciceronem scripti a potiore dicuntur.

[5]) De fragmentis ad grammaticen pertinentibus optime meritus est *Wilmanns* libro quem supra attuli. Primam huius libelli particulam ad libros nostros spectantem summorum in philosophia honorum rite obtinendorum caussa Bonnae 1863 publice defensam a viro doctissimo liberalissime illo tempore mecum communicatam esse grato eloquor animo, quamquam nonnulla in ea sunt quibus non assentiar.

[6]) Florentinum omnium esse parentem iam Angelus Maius prodit, Lachmannus accurata illius collatione usus ostendit. Cf. *Spengelium* in praef. VIII ed., tum in libello: „Ueber die Kritik der Varronischen Buecher de l. l.“ (Abhandlungen der philosophisch-philologischen Klasse der K. Bayerischen Academie der Wissenschaften; Muenchen 1853), postremo in commentatione de emendanda ratione librorum M. T. Varronis de l. l. Monach. 1858.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Librorum de lingua latina argumentum.

Varroni omnis operis de lingua latina tres placuit facere partes (VII 110 Muell. p. 390 Speng.) primo quemadmodum vocabula imposita essent rebus (cf. VII 109, VIII 1), secundo quemadmodum ea in casus declinarentur (quo pacto de his declinata in discrimina ierunt VIII 1), tertio quemadmodum coniungerentur (ut ea inter se ratione coniuncta sententiam efferant ib.). Cum vero primum illud sex libris explicare instituisset, ex his tres priores Septumio scripsit qui ei quaestor fuerat, tres ad Ciceronem misit. In eis quos Septumio misit de disciplina verborum originis disseruit, et primo volumine docuit quae dicantur cur ἐτυμολογική neque ars sit neque ea utilis sit; secundo quae sint cur et ars ea sit et utilis sit; tertio quae forma etymologiae (V 1). In alteris tribus ad Ciceronem scriptis latinorum verborum origines exposuit, et primo libro egit de vocabulis locorum et quae in his sunt (V 10 p. 22), secundo de vocabulis temporum et earum rerum quae in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo (VI 1), tertio de vocabulis quae a poetis sunt posita (VII 5 p. 286).[7] Prima operis parte tali modo absoluta, secundam quae de declinationibus tractaret ita perpetravit, ut, cum declinationum genera duo esse censeret, voluntarium et naturale, de utriusque generis declinationibus libros faceret bis ternos, priores tres de earum declinationum disciplina, posteriores ex eius disciplinae propaginibus (VIII 21. 24. p. 406. 408). De prioribus primus exhibet quae contra similitudinem declinationum (ἀναλογίαν) dicantur (VIII 25 p. 409), secundus quae contra dissimilitudinem (ἀνωμαλίαν) (IX 7 p. 460); tertius de similitudinum forma scriptus est (X 1. 2). De alteris totidem scribere ac dividere libros Varro inceperat, verumtamen hi ad nostram aetatem non pervenerunt, neque magis reliqui duodecim quibus tertia omnis operis pars quo pacto vocabula inter se ratione coniuncta sententiam efferant continebatur, quorum idcirco non licet singula perscribere argumenta.

De libro I.

Permirum quidem, huius libri qui quasi prooemium toti operi praemissus putatur in libris ad nos perlatis non fieri mentionem, cum Varro saepius et quid tractaverit et

[7] Cf. VII 110 p. 389: In secundis tribus quos ad te misi item generatim discretis, primum in quo sunt origines verborum locorum et earum rerum quae in locis esse solent; secundum quibus vocabulis tempora sint notata et eae res quae in temporibus fiunt; tertius hic in quo a poetis item sumpta, ut illa quae dixi in duobus libris soluta oratione.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quid tractaturus sit perscripserit (cf. argum. librorum). Recte igitur videntur monuisse qui eiusmodi librum fuisse negarent et ex hac sententia Varronis libros numerarent. Sed gravissimae sunt rationes quibus viri docti adducantur ut hunc librum fuisse censeant. Sunt positae in testimoniis aliquot veterum scriptorum, nimirum maximam partem multo posterioris aetatis, A. Gelli Prisciani Lydi Diomedis Charisi; quorum testimonia quoniam Spengelius in editione p. 3 sqq. luculentissime indicavit ac perlustravit, singula proferre non curo. Accedit quod antiquissimus codex scriptus Florentinus verum qui nunc habetur librorum numerum tenet, ceteri aut nullum aut prius vulgatum dant. Praeterea non levissimum versatur argumentum in numero XXV librorum de l. l. quem in Hieronymi catalogo illo legimus (cf. not. 1). Etenim si Varro severissimam dispositionis legem ut assolet secutus libros de l. l. in quattuor hexadas distribuit, unus restat liber qui reliquis aut praemissus aut additus iudicandus est. Quibus omnibus efficitur, unum hunc librum aut a Varrone, opere iam ex parte, si non plane perpetrato, editum (nam si re vera primus comparuisset, auctor ea de re non tacuisset in rerum de quibus agit summa saepius enarrata), aut non ita multo post propter argumentum aptissimum inter singulares Varronis de grammatice libros omnis operis de l. l. exordium putatum et communi legentium consensu reliquis libris praemissum esse. Neutrum vero pro certo affirmari potest, neque magis accurate referri quae illo libro continebantur; attamen Varronem de lingua latina universa exposuisse sententiam veri simile est. Quid ibi exposuerit vel exponere debuerit scriptor ex Wilmannsi sententia invenies l. c. p. 36 sq.; sed quamvis tibi arrideant ea quae vir doctissimus ingeniose disputavit, Wilmannsi non Varronis illam argumenti dispositionem esse teneas. Originem linguae latinae licet tetigerit Varro, de ea sola eum disputasse, quod Spengelio videtur placere p. 7 ed.[8]), nullius scriptoris comprobatur auctoritate neque Prisciani verbis I 39 p. 37 Kr.: ‚Sequente G vel C pro ea (sc. N) G scribunt graeci et quidam tamen vetustissimi auctores romanorum euphoniae causa bene hoc facientes, ut Agchises agceps aggulus aggens, quod ostendit *Varro in primo de origine linguae latinae* his verbis: Ut Jon scribit quinta vicesima est littera, quam vocant *ἄγγμα*[9]), cuius forma nulla est et vox communis est graecis et latinis, ut his verbis: aggulus aggens agguilla iggerunt. In eiusmodi graeci et Attius noster bina G scribunt, alii N et G, quod in hoc veritatem

[8]) Od. Muellerus praef. p. XLI eum secutus p. 1 Varronem scripsisse dicit de caussis linguae Latinae similive argumento.

[9]) *ἄγγμα* pro usitato *ἄγμα* scribendum rectissime coniecisse videtur *B. ten Brink* Varr. locus de urbe Roma.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videre facile [est, in illo] non est[10]). Similiter agceps agcora'. Nam haec ad peculiare Varronis opus de origine linguae latinae spectant quod tribus fuisse conscriptum libris Hieronymi indice discimus (cf. Ritschl. mus. rhen. nov. VI p. 529 sqq. Wilmanns l. l. p. 126 sqq.). Non maior fides tribuenda fragmento primo quod Wilmanns l. l. p. 141 ex Augustini V. S. libello de dialectica attulit et primo Varronis de l. l. libro et ipse haesitans tribuit. Non dubium est quin Augustinus stoicorum persequatur praecepta, quibus Varronem in rebus grammaticis in universum obtemperasse vel ab ipso accepimus V 9 p. 20 VI 2 XI 1 (cf. Wilmanns l. l. p. 10 sqq.). Sed ut Augustinus ea potissimum quae Varro de his rebus exposuit suum in usum converterit, quis ille liber fuerit ex quo excerpsit, nescimus nec certo definire possumus in magna librorum quos Varro huius generis scripsit copia. Utcunque autem de argumento huius libri statuis, minime probabilis videtur Spengelii coniectura quam p. 7. ed. caute aperuit his verbis: ‚Quod si coniecturae locus est, non multum fortasse a veritate abhorrebit, si librum primum *ad Pompeium* scriptum pronunciamus, quod ut putemus maxime nos movet locus quidam qui legitur apud Lydum de magistr. I 5 p. 18: *ὥστε τύραννος ἦν ὁ Ῥωμύλος, πρῶτον μὲν τὸν ἀδελφὸν ἀνελὼν καὶ τὸν μείζονα καὶ πράττων ἀλόγως τὰ προσπίπτοντα. ταύτῃ καὶ Κυρῖνος προσηγορεύθη οἱονεὶ κύριος, κἂν εἰ Διογενιανῷ τῷ λεξικογράφῳ ἄλλως δοκεῖ. Οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας ὁ Ῥωμύλος ἢ οἱ κατ' αὐτὸν δείκνυται κατ ἐκεῖνο καιροῦ τὴν Ἑλλάδα φωνήν, τὴν Αἰολίδα λέγω, ὥς φασιν ὅ τε Κάτων ἐν τῷ περὶ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιότητος, Βάρρων τε ὁ πολυμαθέστατος ἐν προοιμίοις τῶν πρὸς ΠΟΜΠΗΙΟΝ αὐτῷ γεγραμμένων, Εὐάνδρου καὶ τῶν ἄλλων Ἀρκάδων εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντων ποτὲ καὶ τὴν Αἰολίδα τοῖς βαρβάροις ἐνσπειράντων φωνήν.*' — Sed Lydus quae profert Varronem rettulisse dicit non *ἐν τοῖς πρὸς Πομπήιον αὐτῷ γεγραμμένοις*, id quod iam Ritschelius premit mus. rhen. nov. VI p. 531, sed in eis quae libro vel libris ad Pompeium scriptis praefatus esset. Varronem quantum scimus duos ad Pompeium libros scripsisse constat, *εἰσαγωγικόν* ex quo Pompeius disceret quid facere dicereque deberet cum senatum consuleret (cf. Gell. XIV 7), et ephemeridem navalem Pompeio olim per Hispaniam militaturo (cf. itiner. Alexandri M. c. 6 ed. Mai); in his autem libris locum fuisse illis de cognatione linguae italicae et aeolicae quis est qui non maximo opere in dubium vocet? Cum vero liber primus de l. l. ipse prooemii locum teneat et tres libri sequentes Septumio missi a Varrone referantur, negari fere nequit quin Lydus aliud Varronis opus significarit. Libro cuidam de origine linguae

[10]) Verba uncis inclusa adicienda videntur Ritschelio mon. epigr. tria p. 24.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

latinae Lydi verba aptissima esse Spengelio nemo erit qui non concedat, neque minus Ritschelio quem Wilmanns l. c. p. 128 sq. est secutus assentieris propter singularem argumentorum congruentiam ad libros de origine linguae latinae modo laudatos ea referenti. Krahnerum (de Varr. antiquit. p. 20) qui *ad Atticum* scriptum fuisse librum primum de l. l. coniecerat iure reprehendit idem Ritschelius Quaestt. Varr. p. 27 et Mus. Rhen. nov. l. s. Omnino non mirum de viro cui liber primus missus sit, virorum doctorum sententias valde inter se discrepare; res ipsa incerta eos consentire non patitur. Ceterum hunc librum cum libris II III IV Septumio misisse Varronem nego qui V 1 vel VII 109 p. 388 id silentio non potuerit praeterire.

De libris II III IV.

Hi libri priorem hexadis primae partem efficiebant et de disciplina verborum erant quam Varro persecutus erat ita ut, quae contra pro de ea dicerentur, singulis libris perlustraret. Praeter hanc Varronis argumenti dispositionem tria tantum eaque exigua nobis servata sunt horum librorum fragmenta quae libro III legi dicuntur et eiusmodi sunt, ut libri illius argumentum non amplius illustrent et in quolibet trium librorum locum suum habere possint. Sunt haec:

1. *Leam* vero Varro (dicit) ad Ciceronem libro tertio: *Sicut nocet panthera et lea.* Philargyrius ad Virg. Ecl. II 63.

2. *Figor* ambigue declinatur apud veteres tempore perfecto; reperimus enim fictus et fixus. Scaurus de vita sua *sagittis* inquit *confictus.* Varro ad Ciceronem tertio *fixum.* Diomedes p. 373. P.

3. Inde (a graeco δέος) *deus* dictus est quod omnis religio sit timoris. Varro ad Ciceronem tertio: *Ita respondeant, cur dicant deos (deus* al.*) cum omnes (omnibus* al.*) antiqui dixerint divos.* Servius ad Virg. Aen. XII 139.

Wilmannsium l. l. p. 150 fragmentum quod legitur apud Nonium Marc. I 324 p. 64 Mercer. s. v. *prolubium* libro IIII attribuere non ignoro, cum sic scriptum esse iudicet: ‚Varro de lingua latina IIII: prolubiem et prolubidinem dici ab eo quod lubeat; unde etiam lucus Veneris Lubentinae dicatur'. Sed Spengelius p. 224 ed. et Muellerus p. 90 ed. hanc exhibent lectionem: ‚Varro de lingua latina V cet.' Noni verba non satis congruere cum Varronis verbis licet Muellerus monuerit, ad hunc locum libri qui nunc est sexti VI 47 p. 63 spectare cum Spengelio statuam. Veneris enim Lubentinae a lubendo cognominatae mentio fit in Varronis verbis; verba composita prolubiem et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prolubidinem item a lubendo secundum Varronem traxisse originem Nonius conicere poterat, cum Varro praeter lubidinem sic alia inde dicat declinata; tum Nonius librorum numerum prius vulgatum videtur sequi. Altero enim loco IV 384 p. 376 Mercer. s. v. *protinus* haec[11]) profert: ‚Varro etiam de l. l. libro VI vel protinam vel protinus continuatione vel praeteritae vel futurae longitudinis dicit.' Respexit autem ad ea quae nunc leguntur libro VII 107 p. 101: ‚In Lampadione (Naevi[12]) protinam a protinus, continuitatem significans.' Quem Varronis locum sicut alterum a Nonio non ad verbum transcriptum esse in propatulo est.[13]) Verumtamen alter ille locus sive ex quarto sive ex sexto ut mihi placet Varronis libro depromptus est, nihil nisi trium verborum a lubendo declinatorum veriloquium continet, ita ut libri argumentum universum de verborum declinatione fuisse nec quidquam amplius probet.

Praeter tria quae supra posui fragmenta libri III in eis qui secuntur libris unus locus novi aliquid affert ansamque dat ad rationem quam Varro in libris II—IV secutus est generatim explicandam. Libro V 6 p. 16 haec leguntur: ‚In consuetudine communi quot modis litterarum conmutatio (*Fl.*) sit facta qui animadverterit, facilius se (*Fl. om. al.*) scrutari origines patietur verborum; reperiet enim esse commutata, ut in superioribus libris ostendi, maxime propter bis quaternas caussas. Litterarum enim fit demptione aut additione, et propter earum adtractionem (*Fl.* tractationem arctationem *al.*) aut commutationem, item syllabarum productione [aut correptione, denique . . . . one]: quae quoniam in superioribus libris, quoiusmodi (qui cuiusmodi *Fl.* cf. Spengel. p. 17 ed.) essent, satis demonstravi, hic commonendum modo esse putavi.'

Spengelius p. l. locum duorum verborum transpositione sanandum arbitratur; inesse enim commutationi notionem generalem cuius diversae ac variae sint species, ut demptio additio cet. Quare sic ei videtur legendum: *Litterarum enim fit demptione aut additione et propter earum adtractionem et productionem; item syllabarum commutatione.* — Muellerus p. 3 ed. lacunam libris mss. inesse statuens verba uncis angulatis supra inclusa verbis librorum mss. addidit. Lacunam ex parte se dicit explevisse, ita ut caussa appareret eadem, propter quam Varronis sexcenti loci mutili essent, *ὁμοιοτέλευτον*; de transpositione elementorum hoc quarto loco dixisse ei videtur Varro, sed et hanc geminam proposuisse (cf. praef. p. XIX sq.). — Wilmanns l. l. p. 24 sqq. Muellerum

[11]) Haec Noni verba in edd. Venetis omnino desiderari Spengelium auctorem habeo p. 7. ed.
[12]) Cf. Bothe P. Sc. L. V. I. p. 16.
[13]) Cf. Spengelium p. 6 sq. ed. de duobus Noni locis qui ceteris de librorum numero locis firmissimis refragentur disputantem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui recte membrorum aequabilitatem secutus *aut correptione* addiderit laudans lacunam a Muellero relictam hoc modo explendam censet: *denique vocabulorum conpositione aut conlisione.* Valde mirabile dicit videri, nihil in illa regula dictum esse de verbis compositis, quod genus in omnibus linguis latissime pateat cuiusque indoles neminem fugere possit; Varroni non modo vocabula compositicia (VI 55 p. 232) vel composita (VIII 61 p. 436) nota fuisse, verum etiam duo talium verborum genera eum distinxisse, simpliciter composita et ea quae e duobus vocabulis vel altero vel duobus plus minus mutatis breviatis contractis orirentur. Quorum generum terna ponit exempla.

Viris doctissimis ut quisque aperuit sententiam vicissim obloqui conabor. Quamquam verbo commutationis generalem inesse notionem Spengelius recte vidit, tamen e. gr. litterarum demptione aut additione commutatio fit syllabarum et vocabulorum, littera dempta aut addita manet ea quae est; item syllaba dempta sive addita non potest commutata proprie dici, cuius forma non commutetur. Praeterea Varronis erat quadripartitam syllabarum commutationis rationem vel verbo significare, si enumerare ei non placebat. Idcirco transpositione illa a Spengelio proposita locum sanatum non video. — Muellerus idem videtur sensisse, qui alteram quadripartitionem ex parte expleverit. Sed lectioni eius assentiri nequeo, licet probabilis appareat eo quod syllabarum productio aut correptio res trita est quae et in soluta oratione et apud poetas plurimum ponderis habeat. Nam Varro in declinandis vocabulis ad eam nusquam respexit; syllabae sive longae sive breves sunt, eisdem legibus ad origines vocabulorum explanandas coguntur. Nec magis placet Varronem quarto loco de gemina elementorum i. e. litterarum transpositione esse locutum, quoniam a litteris ad syllabas transiit. Etiam Muellero id non admodum veri simile esse visum vel ex eo conficitur quod lectionem ad hanc sententiam non restituit, sed lacunam ex parte reliquit. — Wilmannsio Varronem compositorum verborum genus in illa regula neque praetermisisse nec praetermittere potuisse, de quibus alias aperte loquatur, libenter concedo; duo eorum genera distinxisse et *denique vocabulorum conpositione aut conlisione* scripsisse nego. Distinctio illa apud Varronem de lingua latina nullo legitur loco, nec quae Wilmannsius eius attulit exempla eam docent. Quid Varro de verbis compositis statuerit, duo sunt loci quos supra notavi quibus satis discere possis. Alter ille l. VI est: ‚*Hinc* (a fando) *etiam famigerabile et sic compositiitia alia item, ut declinata multa, in quo et fatuus et fatuae.*‘ Alter l. VIII legitur: ‚*Quoniam est vocabulorum genus quod appellant compositiitium et negant conferri id oportere cum simplicibus de quibus adhuc dixi, de compositis separatim agam.*‘ Dein haec Varro profert exempla: Ab libris et canendo tibicines; ab aede

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et tuendo aeditumus; ab avibus capiundis auceps; ubi fodiatur argentum, argentifodinae; qui lapides caedunt, lapicidae; aurifex; non doctus, indoctus; non salsus, insulsus. Altero loco compositita et declinata vocabula, altero composita et simplicia nominantur, compositorum duo genera non discernuntur. De verbis collisis vel de peculiari eorum genere disseritur neque his neque aliis locis, id quod Varronem praeterisse eo potissimum loco, ubi composita simplicibus opponit et compositorum plura affert, minime veri simile est. Verbis *collisum* V 171 p. 172 et *coactum* X 81 p. 589 potissimum Wilmannsius videtur motus ut verborum collisione alterum compositorum genus natum statueret, in quibus syllaba extrita esset. Verumtamen et *collisum* et *contractum* sunt mera synonyma quae dicuntur verbi *compositum*, nec quidquam inter hoc et illa interest nisi quod illa violentiorem ut ita dicam verborum compositionem videntur significare; novam declinationis caussam non comprehendunt. Hoc enim ea in re praecipue teneas, Varronem bis quaternas declinandi caussas se allaturum profiteri atque in eis quae servata sunt ita ordinasse, ut binae inter se oppositae iunctae sint, quod item in verba compositum et collisum non cadit. Deinde si ad exempla illa bis terna respicis, etiam quae simpliciter compositorum exempla sunt, e duobus vocabulis vel altero vel duobus plus minus mutatis breviatis contractis nata dici possunt; in verbis *aedificium intertrimentum manupretium* bina vocabula aeque collisa atque in *septunx (septem* quod apud Wilmannsium legitur, mendum typographi puto, cum neque in codd. sit apud Spengelium et Muellerum, neque aptum); *vineta* et *vineae* a vite sunt simpliciter declinata, verba *vite* et *multa* non collisa in eis iudicanda, *multa* enim nihil ad etymon, ut VI 9 p. 191 ‚hiems quod tum multi imbres'; *coactum* X 81 p. 589 idem valere atque *compositum* Gellius docet qui l. VII 11 Varronis locum sic reddit: ‚M. Varro in libris de lingua latina: ut ex non et [ex] volo, inquit, nolo fit, sic ex ne et [ex] quicquam media syllaba extrita componitur (compositum est *al.*) nequam.' Tum propter verborum collidendi et cogendi maiorem vim primitivam alterum compositorum genus illis verbis Varronem significasse non magis potest probari, quam si eo, quod Varro litteram vel syllabam extritam saepius dicit, eum praeter demptionem universam l. c. nominatam proprium extriturae genus discrevisse statuas. Simili modo declinata vocabula universa et orta et dicta et facta et ficta dicuntur, singulares autem his verbis non comprehenduntur declinationes; namque Varro et in aliis artis grammaticae vocabulis sibi non constat. Postremo si varios declinandi modos sive caussas generatim perlustraveris, in lectione a Muellero et Willmannsio proposita eum prae ceteris desiderabis modum quo exitus vocabulorum commutatus aliud quid novum aut simile ostendit, ut in verbis proprie

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nunc dictis et in deminutivis. Neque vocabulorum compositione aut collisione ex Varronis sententia is comprehensus est, nec syllabarum productione aut correptione, nec quadripartita illa quae ad litteras spectat ratione. Itaque Wilmannsi quoque lectionem huic loco ex parte tantum, quod ad verborum compositionem ut singularem verborum commutationis i. e. declinationis caussam pertinet, mederi et collisionem caussam verborum originis a compositione diversam non positam fuisse persuasum habeo. — Lectionis aperte mutilatae remedium quaerenti mihi mendum in eo esse positum, quod inter *syllabarum* et *productione* plura verba interciderunt, atque illud *item*, quo idem vel similis modus indicatur, vestigium aliquod certum primae lectionis videtur ostendere. Quare Varronem sic fere scripsisse existimo: ‚In consuetudine.... maxime propter bis quaternas caussas. Litterarum enim fit demptione aut additione et propter earum attractionem aut commutationem, item syllabarum *attractione aut commutatione et vocabulorum compositione aut* productione.‘

Quas bis quaternas caussas utrum Varro certo libro ex ordine explicuerit an hic illic solum promiscue ostenderit, neutrum pro certo statuere potes ex eis quae nobis reliqua sunt, quamquam Varro libro IV, ubi de forma etymologiae egit, ea quae libro II et III contra et pro ea disputarat, in universum comprehendisse putandus est. Dubium esse non posset, si l. c. legeretur *in superiore libro;* nunc verba *in superioribus libris* rem incertam faciunt. Rationem vero quam Varro libris VIII—X secutus est consideranti haud fere dubium est quin libro IV praeter alias res quae ad etymologiam universam spectant varios illos declinandi modos summatim composuerit et tractarit. Quo ordine trium librorum materiem persecutus sit ex eis quae extant erui nequit, quamvis ingenii acumen exerceas. Et Varronis et aliorum testimonia ea de re desunt; nec quae Varro in sequentibus libris de etymologia in universum (praecipue initio libri V) scripsit, certo libro possunt vindicari. Qua ratione libro III contra etymologiae praestantiam Varro disputaverit, vestigia quidem sibi visus est invenisse Wilmanns l. l. p. 23 in Augustini libello de dialectica; quid? quod p. 145 asterisco praefixo Varronis nomen non appositum significans, Augustini verba cum altero Noni fragmento inter Varronis relliquias libri III ponere ausus est. Quare prius quam ad alteram primae hexadis partem transeo, ut hisce de locis dicam reliquum est. Alterum perexiguum fragmentum legitur apud Nonium p. 450 M.: ‚Varro asinos rudere canes gannire pullos pipare dixit.‘ Alterum illud quod plus quattuor paginas in Wilmannsi libello explet, sine Varronis nomine, ut modo dixi, apud Augustinum de dial. VI p. 42 ed. congr. S. M. p. I ed. Crec. invenitur brevique conspectu dat stoicorum de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verborum origine explicanda sententiam. Noni locum ex libro III de l. l. desumptum esse Wilmannsius coniecit ex eo quod Augustinus l. c. stoicos haec quasi cunabula verborum credidisse refert, ubi sensus rerum cum sonorum sensu concordaret, quae verba ita sonarent ut ipsae res quae his verbis significantur. Varronis verba tali argumento optime convenire nemo erit qui neget; sed ut libri tertii de l. l. ea fuerint, inde non sequitur; nam Varronem tale argumentum libro illo tractasse nescimus. Potuitne vir sanctissimus qui se omnes libros artium quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per se ipsum legisse confitetur, neminem alium in eis quae scripsit nisi Varronem sequi? et, si non potuit, nullius alius libri ea possunt esse nisi tertii de lingua latina? Neutrum affirmari nequit. Quamvis et ingenii subtilitatem studiique severitatem qua Wilmannsius in libro suo conscribendo usus est libenter agnoscam, Augustini illud non inter Varronis relliquias sed stoicorum ponendum erat. Non modo Varronem stoicos prae ceteris esse secutum, sed etiam Augustinum Varronis lectitasse libros non est quod neges; attamen tantum abest, ut Augustinum quae stoam redolent Varroni soli debere et secundum Varronis librum illum reddidisse inde efficiatur, ut, quae Varronis nomine aliorumque testimoniis careant, a Varrone profecta esse merito neges. Cavendum est ne perbene ficta pro scriptis, adumbrationes artificiosae pro testimoniis habeantur. Varro quidem de verborum impositione agens ea quae iam maioribus ademerit oblivio fugitiva, secutam sedulitatem Muti et Bruti retrahere nequire ingenue fassus eo non tardiorem sed velociorem se ipse dicit futurum si indagare quiverit V 5 p. 15. Verumtamen quaedam esse quae vetustate erepta indagationi accuratissimae non liceat restituere, idem intellexit. Quae scripsit ipse eo libro, hodie latent praeter tria verba quae libri argumentum comprehendunt et tria quae supra attuli fragmenta. Jam maioribus nostris liber ille cum aliis ademptus est: id quod valde dolendum est multas ob caussas. Idcirco quidquid conicies, nisi novum aliquod litterarum quibus hodie orbati sumus lumen accesserit, manebit id quod est, ingenii studiique exercitatio cui sua debetur palma neque eripi potest; verumtamen illud ademptum retrahere nequit. Quid igitur? Epimenidis dormiamus somnum? Minime. Ingenii vis vel impedita et obstricta prorumpet, studii sollertia vel quae longissime remota et abscondita sunt tentabit. Sed aliud est scire, aliud conicere qua ratione Varro libri cuiusdam argumentum sit persecutus.

De libris V VI VII.

Varro quod in his libris conscribendis consilium habuerit, ipse initio libri V dicit; nempe se profitetur scripturum, a quibus rebus vocabula sint imposita in lingua, et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea quae sint in consuetudine apud poetas (V 1). Cum vero uniuscuiusque verbi duas naturas distinguat, a qua re et in qua re vocabulum sit impositum: de priore parte, ubi cur et unde sint verba scrutantur, quam Graeci *ἐτυμολογίαν* vocant, et de altera, cui *περὶ τῶν σημαινομένων* apud Graecos nomen, promiscue dicturus est, sed exilius de posteriore (V 2). Leviter aut obiter se rem perstricturum atque abiectum obsoletumque aliquid, quod communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versetur, oblaturum negat; accurata materiae indagatione et exploratione se usurum pollicetur, ita ut praestet quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum. Quattuor enim statuit verborum origines explanandi gradus V 7 p. 18 sqq. Quorum infimus ei est is quo etiam populus venit; secundus quo grammatica escendit antiqua Romanorum, quae ostendit quemadmodum quodque poeta finxerit verbum, confinxerit, declinarit; tertius quo philosophia ascendens pervenit atque ea quae in consuetudine communi essent aperire coepit; quartus ubi est aditus ad initia rerum[14]). Summum gradum attingere esse difficillimum Varro ipse intellexit; itaque, si eo non perveniat, scientiam ad opinionem aucupari vult, quod etiam in salute nostra nonnunquam faciat cum aegrotamus medicus. Tamen secundum se praeteriturum persuasum habet, quod non solum ad Aristophanis grammatici Byzantini lucernam sed etiam ad Cleanthis[15]) stoici lucubraverit. Praeterea Varroni non videbatur consentaneum, quaerere se in eis verbis quae finxisset poeta latinus caussam, neglegere quae ante rex Latinus finxisset. Igitur quoniam in haec sint tripartita verba, aut latina aut aliena aut oblivia, de latinis dicturus est, cur sint, de alienis, unde sint, de obliviis se relicturum dicit.

---

[14]) Ex coniectura Od. Muelleri ita scripsi. *et initia regis* Fl. quam scripturae varietatem tuentur Scaliger et Popma, ille Plauti ‚Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero' hic Horati ‚rex eris aiunt si recte facies' monentes; *ad initia rei* coni. Augustinus; *et initia rerum* Vertranius; cf. Spengeli ed. p. 20.

[15]) Cleanthes Assius in numerum clarissimorum Zenonis stoici discipulorum ascribitur eiusque successor in schola extitit. Is primo pugil fuit et, cum Athenas veniret, quattuor tantum drachmas in bonis habuit. Paupertate coactus noctu in hortis hauriendae aquae operam locabat vel farinas pinsebat, ut interdiu philosophiae posset vacare. Licet ingenii tardioris fuerit, quem asinum condiscipuli appellarent, tamen philosophiae studiis tam acriter erat deditus, ut totam Zenonis disciplinam comprehenderet (maledicentibus se asinum esse sed qui solus Zenonis sarcinam posset ferre respondit) et magistro defuncto, qui ei in schola succederet, dignus haberetur. Multa scripsit; quae omnia interciderunt praeter hymnum quem in Jovis honorem composuit. Cf. Diog. Laërt. VII 36 sqq. *Ritteri et Prelleri hist. philos.* ed. III p. 359, ubi quae ad Cleanthem pertinent indicata reperies.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quodsi id quod Varro praestare voluit comparas cum eo quod revera praestitit, tum optime de disciplina etymologiae difficillima meritus, tum principia unde ea proficisci debeat in veriloquiis ponendis non plane perspexisse vel non adhibuisse iudicandus est. Prius vero quam id pluribus explicabitur, de difficultatibus rei quam Varro sibi tractandam sumpsit, pauca praemittam. Quae difficultates in eo maxime versantur, quod etymologiae studium tum demum initium capere solet, cum lingua plane exculta, ad unguem elaborata, trita est, ita ut longissimum certe temporis spatium intersit inter aetatem ubi lingua orta, et aetatem ubi ad primitivam verborum potestatem vel retinendam vel exquirendam in etymologiae disciplinam incumbunt. Quo fit ut permultae verborum origines obscurentur commutentur obruantur tollantur. Porro neque omnem linguae originem puram integramque sed saepe variam mixtamque esse, et, ubi populus litteris vel mercatura vel bello aliis cum populis coniunctus est, nova inde recipi atque irrepere ut ita dicam vocabula videas. Praeterea loquendi usus vim vocabulorum non modo singulis saeculis sed minore interdum temporis spatio variat, unde vocabulorum novorum ac veterum plane discordia existat. Certe alia erat lingua latina Romuli Numaeque Pompili temporibus, alia aetate Varronis, cum orbis terrarum imperium tenebant Romani [16]). Nec quidquam rectius quam Horati notissimum illud:

Multa renascentur quae iam cecidere cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

Denique quoniam omne initium difficile est, eum potissimum qui primus vel inter primos in nova quadam litterarum parte indaganda celebranda augenda ingenii vim sollertiamque exerceat, plus invenire laboris et difficultatis maioribusque implicari impedimentis, quam qui ducem certissimum auctoremque gravissimum nactus via semel trita ingrediatur, nemo iam infitias ibit. — Quae omnia neque Varronem fugerunt et saepius ab eo comprobantur et cum querimoniis proferuntur quod attinet ad linguam latinam. Libro V 3 p. 14 dicit has quinque caussas difficultatum: ,[Ea de quibus dicturus sum] ideo sunt obscuriora quod neque omnis impositio verborum extat, quod vetustas quasdam delevit; nec quae extat, sine mendo omnis imposita; nec quae recte est imposita cuncta manet (multa enim verba litteris commutatis sunt interpolata);

16) Cf. Polybium III 22, 3 iam ante Varronis aetatem ea de re aperte haec proferentem: *Τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τοῖς* (*τῆς* al.) *νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neque omnis origo est linguae latinae e vernaculis verbis; et multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.' — Ib. 5 p. 15 de temporum iniuria invisa atque immutabili iterum queritur ita: ‚Vetustas pauca non depravat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum hunc vides deformem in senecta. Tertium seculum non videt eum hominem quem vidit primum. Quare illa quae iam maioribus nostris ademit oblivio fugitiva, secuta sedulitas Muti et Bruti [17]) retrahere nequit.' — Studii pertinaciam ideo non intermissam testatus, denuo de rei difficultatibus monens pergit: ‚Non, si non potuero indagare, eo ero tardior; sed velocior ideo si quivero; non mediocres enim tenebrae in silva ubi haec captanda; neque eo quo pervenire volumus semitae tritae; neque non in tramitibus quaedam obiecta quae euntem retinere possent.'

Jam vero cum illa longiorem non videantur orationem desiderare, quid Varro tribus his libris ex mea sententia praestiterit exponam. Negari autem nullo pacto posse arbitror, Varronem non attigisse quartum verborum origines explanandi gradum, magis philosophum sublimem se praebuisse quam subtilem criticum, ingenii copia et ubertate plus valuisse quam acumine et sagacitate, minus discrevisse ex quo grammatici debent more quam collegisse adiutum memoria, thesauro illo omnium rerum. Duo praecipue sunt argumenta quibus id efficitur. Etenim Varro neque eam quam etymologia debet viam mihi videtur ingressus esse, et saepius verborum origines protulit cum nimis quaesitas tum parum rectas. Quod utrumque Varronis et dispositione et expositione confirmatur.

Varronem non eam quam grammaticus debeat viam ingressum videri priore loco posui. Nam quicunque de verborum originibus scribendi consilium capit exsequiturque, inprimis ad id debet animum intendere, ut proficiscatur unde omnis sermonis origo, nempe ab vocabulis quae primitiva dicuntur et tanquam radices sunt ceterorum. Quibus cognitis inquirendae sunt leges secundum quas declinata vocabula inde ficta sunt. Qua in re cum multum intersit, primam vocabulorum vim integram retinere ad impositionem recte diiudicandam, in declinationum legibus indagandis ac constituendis pluris imo vero maxime interest rem repetere ab elementis linguae et ad litterarum aut cognationem aut diversitatem respicere. In lingua enim sicut in natura universa nihil fit casu vel temere, sed omnia certis finguntur legibus. Quin etiam loquendi usus minime licentia infinita sed severa mentis humanae lege commutatur. Quae omnia a Varrone maximam partem neglecta vides. Declinata vocabula saepius ei

[17]) De Ictis Mucio et Bruto Turnebum explicasse dicit O. Muellerus p. 3 cui proverbialis esse videtur lectio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veriloquia originum videntur; litterarum commutatio non fit praecepto in earum natura posita; quemadmodum et qua vocabulorum forma declinetur, ad arbitrium magis quam ad legem decernitur; de vocabulis compositis qua ratione ficta sint, non ediscimus; omnino veriloquia posita initium potius disciplinae sapiunt quam disciplinam in certos fines redactam firmisque nixam fundamentis.[18]) Praeterea philosophi non grammatici sunt omnes fere Varronis in his libris argumenti divisiones. Jam trium librorum partitio quam supra legisti, minime pertinet ad etymologicen, quoniam et locorum et temporum vocabula simili modo sunt imposita, neque ea quae in soluta oratione inveniuntur vocabula, alia lege sunt ficta atque ea quibus poetae utuntur. Pythagoram Samium in partitione illa se secutum ipse Varro dicit V 11 p. 22. Qui philosophus celeberrimus cum omnium rerum initia esse bina demonstraverit, ut finitum et infinitum, bonum et malum, vitam et mortem, diem et noctem: Varro eam ob caussam item duo discernit, statum et motum; quod stat aut agitatur, corpus; ubi agitatur, locum; dum agitatur, tempus; quod est in agitatu, actionem V. 12 p. 23. Quare quod neque unquam tempus quin fuerit motus, neque motus ubi non locus et tempus, has initiorum quadrigas ponit: locum et corpus, tempus et actionem. Verumtamen quae in vocabulorum etymologia sit vis quadripartitionis, nullo modo a Varrone ostenditur eamque ab impositionis ratione alienam esse facile intelligitur. Non aliter se res habet V 16 p. 26, ubi locorum vocabula, quia omnis natura in coelum et terram divisa sit, secundum antiquam hanc divisionem in duas distribuuntur partes. Etiam eiusmodi distributionis auctoritas est nulla in vocabulis fingendis et declinandis. Itidem est in reliquis quas Varro instituit vocabulorum partitionibus. Quas omnes propterea quidem quod in etymologia nullius fere momenti sunt, neque accurate neque ubique retinere potuit et, verborum cognatione aliam sequi viam coactus, minus observavit. Ideo etiam libro V 12 p. 24, qua cognatio eius (eiusmodi *Speng.*) erit verbi quae radices egerit extra fines suas, se persecuturum dicit, quod saepe ad limitem arboris radices subvicini prodierint segetes atque multa sit societas verborum, nec vinalia sine vino expediri nec curia calabra sine calatione possit aperiri. Initio libri sexti, si qua erunt ex diverso genere adiuncta, potius cognationi verborum quam auditori calumnianti se morem gesturum profitetur, cuius rei auctores satis graves Chrysippum[19])

[18]) Cf. *Spengelium ueber d. Krit. der Varr. Buecher de l. l.* p. 470: ‚Man muss oft das verkehrteste ersinnen, um zu finden, was er selbst geschrieben hat.‘ — *Corssen ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung d. l. Spr.* I p. 106: ‚Wenn Varro olera für holera, asta für hasta schreibt, so thut er das seinen verkehrten Etymologien zur Liebe.‘

[19]) Chrysippus Solensis aut Tarsensis dictus, animi dotibus praeclare instructus, inter reliquos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et Antipatrum memorat et illos in quibus si non tantum acuminis at plus litterarum, in quo sit Aristophanes et Apollodorus. Inprimis vero species libri septimi qui verba a poetis posita illustrat, eiusmodi est, quae Varronem multis locis ordinem institutum neglexisse arguat; quam ob rem Od. Muellerus praef. p. XV librum illum farraginem potius locorum poeticorum quam iustam poeticae dictionis tractationem censeat, quae ad finem quodammodo perducta, sed nullo modo absoluta possit dici. Quamquam idem p. s. ultro confitetur, ne forte disputandi genus, quo ipse usus sit, in anxiam et molestam *μικρολογίαν* degeneret, non nimis cavillandum esse, si scriptor in ea materia etiam tenuiore quadam similitudinis specie se duci patiatur, atque licere interdum in hoc disserendi genere incertis passibus securumque, quo pedes ferant, huc illuc vagari: tamen sententiam suam quam ante attuli multis confirmare studuit exemplis. Is quidem his aliisque argumentis[20]) nisus operam dedit ut evinceret, Varronis de lingua latina libros etsi ad finem usque perscriptos, nondum tamen ultimis curis fuisse

stoicae disciplinae addictos mature excelluit, veterisque quam dicunt stoae placita adeo excoluit, ut post eum nihil fere mutatum sit. Propter ingenii acumen homo sine dubio versutus (cuius celeriter mens versatur) et callidus (cuius tamquam manus opere, sic animus usu concalluit) audit Ciceroni de nat. deor. III 10. Artis dialecticae amatoribus maxima affectus est admiratione, qui praedicarent, si apud deos dialecticae usus esset, eam non aliam quam Chrysippeam futuram. Industria tanta fertur fuisse, ut quotidie quingentos versus scribere solitus esset. Quapropter non mirabere DCCV fere ab eo exaratos enumerari libros, quorum catalogus apud Diogenem Laërtium extat. Tamen praeter pauca fragmenta quae Cicero Plutarchus Seneca Gellius Laërtius servaverunt, nihil ex maxima librorum mole superest. Viro lectionis copia abundanti nonnullam in laudando asperserunt labeculam: scriptorum enim locis eum narrant sua ita refersisse, ut Apollodorus dixerit, si quis tolleret de Chrysippi libris quae aliena essent, vacuam illi chartam relictum iri. Risu effusus, cum asinum ficus comedere vidisset eique etiam merum praeberi iussisset, diem supremum obisse a quibusdam traditur. Cf. Diog. Laërt. VII 179 sqq. Suid. s. v. *Chrys.* aliosque de quorum libris vid. Prelleri hist. phil. p. 359 sqq. — De Antipatro stoico Tarsensi cf. Prellerum l. c. — Stoicis Aristophanem et Apollodorum grammaticos iungit Varro; similiter V 9 Aristophanem Cleanthi.

20) Muellerus praef. p. VII sqq. docet, Varronem de iisdem rebus eadem tradere diversis locis, alia correxisse, alia quae cum illis intime cohaererent, non correcta reliquisse; nonnulla addidisse quae cum his quae prius scripsisset, arcte committere et commissuras tereti digito laevigare omisisset; libri sui margini multa adscripsisse postea non sine mutatione verborum cum sententiis, quas ante scripsisset, ea vincturum; denique extremo libro septimo, postquam apud poetas multa reliqua esse verba dixisset, quorum origines aperiendae essent, vocabula explicanda petere ex unius Naevii poematis maximeque eius comoediis, quas Muellerus in annotationibus explicat secundum litteras esse dispositas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

expolitos, atque inscio et invito auctore excidisse et pervenisse in manus hominum[21]): id quod a Lachmanno probatum (Mus. Rhen. VI p. 107 sq.) Ritschelius (Mus. Rhen. nov. VI p. 526) novo quodam atque certissimo argumento sibi visus est firmasse, Spengelius autem (Ueber d. Kritik d. Varr. B. de l. l. p. 443 sqq.) acerrime impugnavit atque negavit. Sed universa huius libri dispositione, quae iustae etymologices legibus minime conveniat, mihi videtur comprobari, Varronem collegisse potius et disposuisse ex more philosophorum, ad quorum disciplinam adhaerescebat, quorum institutis tamquam vinculis obstrictus tenebatur, quam ea quae grammaticum hominem deceat ordiendi et disserendi ratione hanc operis partem confecisse. A Varrone effici non potuisse apparet, ut nova et ad rem propositam magis accomodata uteretur ratione in veriloquiis exquirendis.

Exposui fere, ut potui, quatenus Varro vitio aetatis et disciplinae cui addictus erat potius quam suo eam quam etymologia debeat viam non ingressus sit in opere ordiendo et in libris eorumque partibus disponendis; quod idem ut demonstrem nunc ostendam Varronem saepius et nimis quaesitas et parum rectas proferre vocabulorum origines quibus eorum vis, non veriloquium explicetur. Incredibile est enim, quam sint ineptae interdum ac paene ridiculae, quantaque interpretandi licentia, unde opportunum vel commodum videatur, verborum crebro ducantur veriloquia. Longum est omnia enumerare; et cum libello scholastico Crucenacensi quem anno MDCCCLIX de Varronis etymis quibusdam conscripsi in hanc rem saepius animum adverterim, nunc breviter tantum aliquot eorum tangam, subiectis aliis nonnullis veriloquiis quae eadem Varronem non iusta etymologices ratione rem expedisse arguant.

Volucres a volando nominatas Varro V 75 p. 80 recte dixit; sed indidem ducta opinatur haec: *volpes* quod, ut Aelius dixerit, volet pedibus V 101 p. 103; *vallum* quod, cum id iactant, volent inde levia[22]) V 138 p. 141; *volo* [a voluntate et a volatu] quod animus ita sit, ut puncto temporis pervolet quo volt VI 47 p. 224; *lolligo* quod subvolet, littera commutata, ita ut primo volligo dictum sit V 79 p. 84. Verumtamen volpes graeco *ἀλώπηξ*[23]), volo graeco *βούλομαι*[24]), nostro *wollen* cognatum; vallum

[21]) Libros de lingua lat. in eorum numero ponit, de quibus A. Gellius N. A. III 10 haec tradit: ‚[Varro] addit se quoque iam duodecimam annorum hebdomadem ingressum esse et ad eum diem (libris Hebdomadum vel de Imaginibus conceptis) septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquammultos, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse.‘

[22]) Meminisse videtur Homeri illud Il. V 409.

[23]) Cf. Scaligerum ad h. l. — Dissentit *Curtius Grundzüge der griech. Etymologie* I 324 II 296.

[24]) Cf. Curtius l. l. II 126 al.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deminutivum quod dicunt vocabuli vannus; lolligo incertae originis. Quodsi Varro volo a voluntate declinat, errat eo quod verbum volo prius est verbo voluntatis.

Legati a legendo, quod ‚ut publice mittantur leguntur' VI 66 p. 243; vel ‚qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus quive nuntii senatus aut populi essent' V 87 p. 90. ‚Ab legendo *ligna* quoque quod ea caduca legebantur in agro quibus in focum uterentur' VI 66 p. 243. — Quorum neutrum probandum; cf. Corssen l. l. I 444. — Curtius l. l. I No. 538. — Lib. schol. Cruc. 1859 p. 12.

A cogendo declinat Varro haec vocabula: *caseus* ‚a coacto lacte ut coaxeus dictus' V 108 p. 111[25]), VI 43 p. 222; *conum* ‚quod cogitur in cacumen versus' V 115 p. 120; *cogitare* ‚mens plura in unum cogit unde eligere possit' VI 43 p. 222; ‚a cogitatione *concilium*, inde *consilium*' ib. — Sed casei origo latere videtur, certe non a cogendo est repetenda; conum est graecum *κῶνος* (Curtius I No. 84); cogitare ab agitando dictum (Paul. Diac.: *cogitatio* dicta velut coagitatio id est longa eiusdem rei agitatio cet. Cf. Corssen l. l. I 532), concilium a conciendo, consilium a consulendo.

A fando ‚*fasti* dies quibus verba certa legitima sine piaculo praetoribus licet fari; ab hoc *nefasti* quibus diebus ea fari ius non est et, si fati sunt, piaculum faciunt' VI 53 p. 229. Quae vocabula quin a fas et nefas proxime ducenda sint cum dubitari non possit, tamen recte ab illa stirpe videntur repeti, qua fas et nefas orta sint. Cui rei assentiuntur praeter alios Curtius l. c. I No. 407, Corssen l. c. I 421 et II 685 ubi haec: ‚fa-s göttliches Recht als „Wort" Gottes neben fa-ri, fa-tu-m u. a.' Certe parum recte Varro VI 55 p. 231 dicit: ‚Ab eodem (sc. fando) *falli* sed et *falsum* et *fallacia*, quae propterea quod fando quem decipit ac contra quam dixit faciat.' (Cf. Curtius I No. 558, Corssen I 160 et quae eadem de re lib. schol. 1859 p. 19 sq. disserui.)

‚*Locus* est ubi locatum quid esse potest' V 14 p. 25. Perperam, cum locare a loco duxisse originem in propatulo sit.

Haud aliter statuendum de eis quae V 26 p. 42 sq. leguntur: ‚*Lacus* lacuna magna, ubi aqua contineri potest; *palus* paululum aquae in altitudinem et palam latius diffusae'. Lacuna a lacu declinatum; paludis veriloquium et a paululum et a palam alienissimum (v. Curtius I No. 361 et 300). Etiam *amnem* ab ambitu dictum V 28

[25]) Mira de casei veriloquio sententiarum varietas est. Proxime ad Varronianum accedit Pauli Diaconi qui caseum a coeundo dictum putat. Isidorus XX 2,33 caseum vocari tradit quod careat sero quasi careum. Scaliger in etymologiis perperam a Varrone traditis Oscum censet, quia *casus* apud Oscos *παλαιός* fuerit, ita ut sit lac vetustum et coactum ac concretum; nisi sit a *κάρυον* i. e. nux.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

p. 44 negabis et *agrum* ab agendo V 34 p. 35 f.[26]) Prorsus perversam disciplinae rationem videbis collocatam in his V 36 p. 37: ‚Ager *cultus* ab eo quod ibi cum terra semina coalescant, ut inconsitus *incultus*. Quod primum ex agro plano fructus capiebant, *campus* dictus; posteaquam proxima superiora loca colere coeperunt, a colendo *colles* appellarunt; quos agros non colebant propter silvas aut id genus, ubi pecus posset pasci et possidebant ab usu salvo[27]) saltus nominarunt. Haec etiam [quod] Graeci *νομάς*, nostri *nemora*.[28])

Concentu vel binarum litterarum fortuito Varronem ad impositionem vocabulorum declarandam duci haec quoque docent: ‚*Prata* dicta ab eo quod sine opere parata. Quod in agris quotquotannis rursum facienda eadem, ut rursum capias fructus, appellata *rura*‘ V 40 p. 45 sq. — ‚Ipsa *victoria* ab eo quod superati vinciuntur‘ V 62 p. 68. — ‚*Palma* quod ex utraque parte natura vincta habet paria folia‘ ib. — *Pecus* ab eo quod perpascebant[29]) a quo pecora (pecunia *em. Augustinus*) universa quod in pecore pecunia tum pastoribus consistebat et standi fundamentum pes . . . . a pede pecudes appellarunt‘ V 95 p. 97. — ‚*Falces* a farre, littera commutata V 137 p. 139. — *Pretium* quod emptionis aestimationisve caussa constituitur, dictum a peritis quod hi soli possunt facere recte id‘ V 177 p. 177.

---

[26]) Varro scribit: ‚*Ager* dictus in quam terram quid agebant et unde quid agebant fructus caussa: *alii quod* id Graeci dicunt *ἀγρόν*. Ut ager quo agi poterat, sic qua agi *actus*‘. Procul dubio ex Spengelii coniectura *alii quod* scribendum, quod et ei quod codices tradunt *aliquod* et sermoni Varronis et sententiarum nexui optime respondeat. Lachmanni coniecturam *an quod* merito reiecit Spengelius *ueber d. Krit. d. Varr. B.* p. 468, eiusmodi usum loquendi non esse Varronis atque nisi suum illud *alii quod* Turnebi *aut quod* legendum affirmans. Sed et Turnebi et Lachmanni lectio improbanda idcirco quod ex eis quae secuntur ‚Ut ager quo cet.‘ Varronem non dubitantem suum illud tenuisse, aliorum neglexisse etymon patet.

[27]) Hanc Lachmanni lectionem praeferendam esse vulgari *suo* quae etymon saltus non contineat Spengelius *ueb. d. Krit. d. V. B.* p. 470 laudans confitetur.

[28]) Quinctiliani ea de re animadversionem I 6 audias: ‚Sed cui post Varronem non sit venia? qui agrum quod in eo agatur aliquid, et graculos quia gregatim volent, dictos Ciceroni persuadere voluit, ad eum enim scribit, cum alterum ex graeco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium.‘

[29]) In lectionem libris mss. indicatam vehementer invectus est Lachmannus Mus. Rhen. VI p. 106 sqq. perpascere non latinum et *perpescebant* i. e. coercebant et perdomabant scribendum existimans. Quem Spengelius l. c. p. 451 sqq. nisi codicum *perpascebant* Isidori *pascebant* retinendum ratus nexumque sententiarum alia interpretatus ratione graviter increpuit. Fortasse scriptum fuit *per pascua agebant*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Res eadem est, si pauca quae secuntur veriloquia legis: ‚*Cura* dicta quod cor urat' VI 46 p. 244. — *Loqui* a loco dictum, quod qui primo dicitur iam fari, et vocabula et reliqua verba dicit, ante quam suo quidque loco ea dicere potest, hunc Chrysippus negat loqui' VI 56 p. 232. — ‚*Hiems* quod tum multi imbres .... vel .... ab hiatu hiems. Tempus secundum *ver* quod tum vivere incipiunt virgulta ac vertere tempus anni; nisi quod Jones dicunt ἦρ (coni. Spengel; ἔαρ Victorius; *et* Fl.) ver' VI 9 p. 191 sq. — *Video* a vi (coni. Pauwius ad Phrynichum, Lobeck. p. 71; *a visu* codd.); quinque enim sensuum maximus in oculis; nam cum sensus nullus, quod absit mille passus, sentire possit, oculorum sensus vis usque pervenit ad stellas VI 80 p. 255. — *Fauni* a fando dicti, antiqui poetae *vates* a versibus viendis appellati VII 36 p. 323. — ‚*Cornua* a curvore dicta, quod pleraque curva' VII 25 p. 311. — ‚*Canes* quod latratu signum dant, ut signa canunt, canes appellatae' VII 32 p. 320. — ‚*Rorarii* dicti ab rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quam pluit' VII 58 p. 341.

Sat multis puto me confirmasse exemplis, quatenus in explicandis vocabulorum veriloquiis Varro tribus illis libris saepius parum recte iudicarit. Nihilominus etymorum quae aperuit maxima pars non est reicienda, praeterea multa singula de re proposita commode disputata sunt, neque unquam ea quae protulit ingenii venustate quadam ac lepore carent. Licet artis etymologicae praecepta non satis perspecta habuerit, tamen mira quadam studii severitate ac diligentia in hac disciplina et liberalissima et difficillima versatus est, qui certe omnibus grammatices latinae studiosis primarius fons esse debeat. Idcirco laude et admiratione summa merito dignus videtur potius, quam, quia in etymologia aliquid aut nequiverit aut omiserit aut peccarit, reprehendendus et contemnendus. Cui iudicio assientieris eo lubentius, cum animum adverteris, quanto opere hi Varronis libri litterarum disciplinae cui antiquitatibus romanis apud nos nomen est fructu et emolumento sint, quam accurate de vetustae Italiae superstitionibus festorumque dierum disseruerit rationibus, quanta studiorum assiduitate tractaverit Romanorum res publicas et rei militaris institutionem et prudentiam civilem, quanta porro sedulitate in fabulis antiquorum poetarum interpretandis sit versatus, postremo quam docte examinaverit tum linguae latinae ingenium in vocabulis fingendis tum graecae cognationem. Quod si quae his libris praestare voluit Varro, perfecte et absolute non videtur praestitisse, certe, ut supra monui, quae praestitit magni imo maximi pretii esse oportet omnibus qui sermonis latini leges et proprietates indagare student.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De libris VIII VIIII X.

Quo pacto vocabula declinata in discrimina ivissent, Varro his libris qui priorem secundae hexadis partem amplectebantur cum demonstrare vellet, discriminum rationes tres statuit, cur et quo et quemadmodum] in loquendo declinata sint verba; de quibus duo prima duabus caussis breviter percurrit, quod sibi de copia verborum scripturo retractandum sit, et quod et de tribus tertium quod est, habeat suas permultas ac magnas partes. Accidit incommode quidem, ut libris de copia verborum orbati simus, ideoque Varronis sententiam, cur et quo extiterit verborum declinatio, integram cognoscere non possimus. At mirabere inprimis Varronem de declinationibus disputaturum alteram illam partem de formis in quas verba declinata sint, obiter tantum perstrinxisse. Atqui de formis declinationum rite agi nequit quin singulae plane sint expositae. Quare nihil aptius et magis necessarium ad rationem qua utatur verborum declinatio explanandam quam accuratissima formarum in quas declinantur descriptio atque dispositio. Ratio ipsa qua Varro in tertia discriminum parte tractanda versatus est luce clarius docet, quantopere illud rei caput sit. Etenim in sententiis et suis consentientiumque tuendis et in adversariorum refutandis ad declinationum formas ei semper respiciendum fuit; ab illis profiscitur, ad illas redit omnis disputatio. — Declinationem inductam putat in sermones non solum latinos sed omnium hominum utili et necessaria de caussa: nisi enim ita esset factum, futurum esse ut neque discere tantum numerum verborum possemus (infinitas enim esse naturas, in quas ea declinarentur) neque quae didicissemus, ex his, quae inter se rerum cognatio esset appareret (VIII 1 sqq.). Quo in iudicio nescio an Varronis simplicitas notanda potius quam perversitas vituperanda sit. Minime utilitas quaedam et memoriae infirmitas declinationum inventrix et magistra ducenda, verum ratio ipsa mentis humanae. Inde omnis omnino oratio ducit originem. Animalia enim quae mente praedita non sunt, carent oratione; homines quibus divina illa ingenii vis innata est locuntur. Item declinationum principium eadem mentis natura, cuius quo magis extitit eximia quaedam ac singularis conformatio, eo maior orta est declinationum varietas et copia. Itaque populos agrestes et incultos priscis illis temporibus nascentis ut ita dicam linguae, quibus genuinae vocabulorum imagines et soni etiamtum vigebant, parvo et vocabulorum et declinationum numero uti videmus; quorum vero ingenia vitae genere et occupationibus et locorum natura et rebus gestis acuebantur, et vocabulorum multitudine et declinationum abundantia ceteris omnibus antecellunt. Formas in quas vocabula declinari voluerint aut noluerint Latini explicans Varro VIII 9 p. 397 sqq. omnino duo discernit verborum genera: unum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fecundum quod declinando multas ex se pariat dispariles formas ut lego legis legam, alterum sterile quod ex se pariat nihil ut etiam vix cras magis cur. Cuius generis declinationes oriuntur, partes ponit duas: vocabula sive nomina ut homo et equus, et verba ut legit et currit. Nomina dicit declinari aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sint, ut a Terentius Terenti, aut in eas res extrinsecus quarum ea nomina non sint, ut ab equo equiso; in sua discrimina declinari aut propter ipsius rei naturam de quo[30]) dicatur, et ab toto et a parte, aut propter illius qui dicat, unde casus sint exorti VIII 14 p. 401 sqq. In verborum genere, quia tempora essent tria: praeteritum praesens futurum, declinationem triplicem fuisse faciendam ostendit ut saluto salutabam salutabo; cum item personarum natura triplex esset: qui loqueretur ad quem de quo, haec quoque ab eodem verbo declinata esse VIII 20 p. 405. Quae omnia Varro in copia verborum explicaturus hoc loco leviter tantum adumbravit, quod generatim indicasse satis haberet et alia urgerent, nempe de analogia et anomalia in vocabulis declinandis controversiae. Licet enim ipse arbitratus sit utramque esse sequendam quod in declinatione voluntaria esset anomalia, in naturali[31]) magis analogia, tamen huncce in modum rem pertractavit, ut reliqua libri parte quae maxima est contra analogiam ex mente Crateteorum disputaret, libro VIIII argumentis contra anomaliam solutis pro analogia diceret, libro X ex sua sententia percenseret, quid esset simile generatim, quibus in verbis similitudo statuenda, denique quomodo analogia definienda et ubi quaerenda esset. Iam vero haec quam Varro secutus est argumenti dispositio docet, admodum longis eum uti ambagibus ut ad id quod rei tractandae quasi summa sibi videbatur esse perveniat. Quodsi ab initio, qua in re consisteret, quid et ubi esset analogia et anomalia, exposuisset, omnis illa ex mente analogiae adversariorum aut studiosorum disputatio, in qua multus est et qua rei conspectum secundum tempora non dedit, nisi plane sublata, tamen in iustos fines esset redacta. Varroni hoc potius vel potissimum censeo spectandum fuisse, ut ostenderet, quibus in nugis quisquiliisque pro rei investigandae magnitudine isti analogiae aut defensores aut vituperatores versati

---

30) De forma *quo* post feminini generis et multitudinis vocabula a Varrone posita cf. Spengelium emendatt. Varr. p. 7 et Muelleri notam a. h. l.

31) Varro de ling. lat. VIII 21 p. 406 sq. haec: ‚Declinationum genera sunt duo, voluntarium et naturale. Voluntarium est, quo ut quoiusque tulit voluntas declinavit. Sic tres quom emerunt Ephesi singulos servos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit, cet. — Contra naturalem declinationem dico quae non a singulorum oritur voluntate, sed a communi consensu.‘

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essent, qui iustam grammatices rationem adeo ignorassent, ut haec disciplina liberalissima sophisticarum disputatiuncularum arena potius quam doctrinae atque litterarum fodina videretur. At nugas illas quisquiliasque, si venia verbo, copiose exponere placuit Varroni, qua in re eius sollertia ingeniique subtilitas quaedam laudanda est propterea, quod grammaticos utrarumque partium secum pugnare docuit.

Argumentandi rationem qua rem suam tuebantur, haec probant grammaticorum contra universam analogiam disputantium dicta a Varrone libro VIII prolata: Cum utilitatis caussa, cui sufficiat sola consuetudo, in ceteris omnibus rebus dominetur inaequabilitas, in sermone quoque, qui est usus caussa constitutus, ea non repudianda est. — Quodsi et elegantia in usu expetenda est, quae ex dissimilitudine plus voluptatis quam ex similitudine capiat: aut negandum, nobis disparia esse iucunda, aut quoniam necesse est confiteri, dicendum, verborum dissimilitudinem, quae sit in consuetudine, non esse vitandam. — Quodsi analogia observanda quae est in consuetudine, praeceptis nihil opus est; si quae non est in consuetudine, is qui servet, pro insano sit reprehendendus. Non ergo est sequenda. — Cum et a similibus alia fiant similia, alia dissimilia, et ab dissimilibus partim similia partim dissimilia, analogiam non esse in sermone probatur. — Analogia cum non in omnibus orationis partibus sit, in aliqua esse parum sit, non esse analogiam intellegitur. — Postremo cum qui analogias esse dicunt, et in quo loco similitudo debeat esse et quemadmodum spectari soleat, simile sit necne, ignorant: sequitur, ut, cum analogiam dicere non possint, sequi non debeamus.

Haec fere argumenta contra universam analogiam vulgo proferri Varro uberius persecutus, quae deinceps contra analogiam quantum ad singulas orationis partes dicantur, simili modo et composuit et pluribus explicuit. Quae singula breviter enumerare omitto, cum ea quae de universa analogia attuli mihi sufficere videantur, quibus quae grammaticorum illius aetatis disputandi ratio fuerit plane cognoscatur. Argumentatione vero ista eos disciplinae quam profitebantur leges finesque parum cognita habuisse apparet. Grammatices enim est communem loquendi usum populi qui vel est vel fuit considerare et amplecti eiusque explorare et componere leges. Verumtamen illi homines qui in disputando de analogia aut anomalia sequenda plurimum consumerent studii, longe inde aberrarunt grammaticesque quasi fundamenta sustulerunt. Quodsi sterilibus controversiis suis remotis analogias usu institutas in singulos digessissent ordines et anomalias suo loco notassent, quibus nomen hominibus grammaticis tribueretur vere digni fuissent. Quae enim grammatices cum arte sutorum vel sartorum vel scriniariorum cognatio? Si et utilitatis et elegantiae caussa ut in vestitu aedificiis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sic in supellectile cibo ceterisque omnibus, quae usu ad vitam sunt assumpta, inaequabilitas dominatur: quid ea ad grammaticen eiusque praecepta? Porro si non omnia in declinationibus similia, nonne eo diligentius similia et dissimilia investiganda demonstranda comparanda? Denique cum negando sophismatisque adhibitis nulla omnino disciplina amplius promoveatur imo impediatur et retorqueatur, quae grammatices erit condicio, quae non tam nova praecipere et inducere, quam quae in usu vel sint vel fuerint in sermone, spectare et ordinare debeat? Itaque grammaticis illis qui subtiliter disserere quam vera pervestigare maluerunt, qui pharmacopolarum instar vel funambulorum ritu artem suam tractarunt, non est quod gratiam habeamus pro hac studiorum ratione, nisi quod viris libros eorum perscrutantibus ea, quibus ad sententias suas confirmandas usi erant, ad rectam grammatices rationem inchoandam adhibere licet. Namque inepta quoque et vitiosa quaedam studiorum ratio ad haec ipsa studia recte celebranda et colenda interdum non nihil valet.

Quae eadem ex parte in Varronem cadunt. Qui cum decimo demum libro rectiorem grammatices viam ingredi coepisset, multo maiorem sibi collegisset laudem, si ab initio vanas istas cavillationes disputatiunculasque neque ad rem pertinere et ideo contemnendas esse docuisset. Nunc vero ea quae libro VIII rettulit de illis et quae vicissim libro VIIII oblocutus est, cum viri praestantissimi doctrinae varietatem copiamque tum miram grammatices illius temporis condicionem ostendunt, neque in pretio esse debent et quae legantur digna sunt, nisi quod praeter voces et divisiones tunc usitatas multa in eis singula reperiuntur, quibus grammatices latinae doctrina illustratur et promovetur.

Huc pertinent, ne de omnibus reticuerim, haec: Libro VIII p. 426. Et singularia solum esse multa, ut cicer siser (neminem enim dicere cicera sisera) et multitudinis esse, ut salinae balneae: non enim ab his singulari specie dici salina et balnea. — Ib. 61 p. 437. Aucupem dici, non vero piscipem (cf. not. Muelleri); ubi aes lavetur, aerarias non aerelavinas nominari; ubi fodiatur argentum, argentifodinas dici, neque, ubi fodiatur ferrum, ferrifodinas; item alia. — Ib. 66 p. 440. Sine reprehensione vulgo alios dicere in singulari hac ovi et avi, alios hac ove et ave; in multitudinis hae puppis restis et hae puppes restes; item in patrico (i. e. genetivo quem dicimus) civitatum parentum et civitatium parentium; in accusandi hos montes fontes et hos montis fontis. — Libr. VIIII 55 p. 496. Dici corvum turdum, non dici corvam turdam; contra dici pantheram merulam, non dici pantherum merulum. — Ib. 100 p. 530. ‚Sum quod dicitur, olim dicebatur esum et in omnibus personis constabat, quod dicebatur esum es est, eram eras erat, ero eris erit.‘ — Ib. 106 p. 535. ‚Et lavant et lavantur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicitur separatim recte in rebus certis, quod puerum nutrix lavat, puer a nutrice lavatur; nos in balneis et lavamus et lavamur. sed.... in toto corpore potius utitur lavamur, in partibus lavamus.'

Praeterea de usu loquendi nonnulla rectissime enunciantur a Varrone, quorum haec infra posui exempla: Libr. VIIII 5 p. 459. Aliam populi universi aliam singulorum et de iis non eandem oratoris et poetae esse copulam, quod eorum non idem ius, cum poetae transilire lineas consuetudinis impune possint: id quod orator sine offensione facere non possit. Cf. ib. 115 p. 542. — Ib. 17 p. 467. Consuetudinem loquendi esse in motu; verba perperam dicta apud antiquos aliquos propter poetas non modo nunc (Varronis aetate) dici recte, sed etiam quae ratione dicta sint tum, nunc perperam dici. — Ib. 20 p. 469. Quod novum et ratione introductum sit, quominus ut recipiatur, vitari non debere. — Ib. 56 p. 496. Omnis orationis quamvis res natura subsit, tamen si ea in usum non pervenerit, eo non pervenire verba; equum dici et equam, corvum et corvam non. — Ib. 77 p. 513. Casum esse tam, qui non tritus sit, quam qui sit.

Maioris sunt pretii ac praeclarissima quae libro X continentur. Quo in iudicio ad ea potissimum specto, quibus Varro singulas declinationum species accuratius descripsit, partisque grammaticae cui formarum doctrinae nunc nomen est quasi conspectum dedit. Quae non etsi tam elaborata atque omnibus numeris absoluta sunt, ut condicio quae hodie est grammatices latinae postulat, tamen ad finem quodammodo perducta ideoque summa laude merito digna sunt. Difficilius est enim, iustam disciplinae rationem inchoare quam iuste inchoatam amplissimisque multorum studiis auctam constituere; praeterea, itinere saepissime peracto eiusque difficultatibus et impedimentis omnino sublatis, facilius iudicare de eo poteris, quam ubi novum vel minus cognitum susceperis. Varro libro illo insuper exposuit, quid sit simile et dissimile, quid ratio quam appellent λόγον, quid proportione quod dicant ἀνάλογον, quid consuetudo. Sunt ea egregia assiduitatis consiliique Varronis documenta, neque ulla ex parte prorsus neglegenda aut contemnenda, quibus grammaticos quae sit iusta ipsorum doctrinae ratio docere voluerit. Sed argumento librorum qui prior secundae hexadis pars erant satis declarato, nunc accuratius inquirere in ea praetermitto.

De libris XI XII XIII.

Varro, ut ipsius verbis VIII 24 p. 409 utar, hos libros ex declinationum disciplinae propaginibus fecit. Hi libri igitur prioribus tribus simili modo respondebant, ut libri V—VII libris II—V; doctrina libris VIII—X explicata exemplis in usu positis illustrata

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat. Declinationum genera quidem initio libri octavi Varro paucis absolvit; quo ordine singula perscripturus esset neque hoc neque alio loco exposuit; neque est quidquam quod huc pertineat et in censum veniat praeter locum VIII 13 p. 401. ‚Quom de his nomen sit primum (prius enim nomen est quam verbum temporale et reliqua posterius quam nomen et verbum: prima igitur nomina): quare de eorum declinatione quam de verborum ante dicam.' Quo loco probabile fit, libris XI—XIII primum de nominibus deinde de verbis temporalibus actum fuisse. Sed libris illis rem ita digestam fuisse, ut liber XI de nominibus solum, liber XII de verbis temporalibus, liber XIII de declinationibus obsoletioribus et rarioribus quibus poetae uterentur scriptus esset, quae est Wilmannsi sententia, inde non efficitur. Libris V—VII quidem argumenti divisio illa est, fragmenta vero nobis servata eandem libris XI—XIII fuisse non docent. Certae enim sedis in eis libris tantum sex leguntur, ex quibus quattuor libri undecimi, libri duodecimi nullum, libri tertii decimi duo sunt. Quorum numerus licet parvus sit cum spei nonnihil afferat rem magis perspicuam futuram, brevitas et exiguitas paene omnem eripit. Sunt haec:

1. *Rure ordinatum arbustum.* Charisius p. 142 K.[32])
2. *Horum poematorum et his poematis oportere dici.* Charis. p. 141.[33])
3. *Catinuli.* Charis. p. 79.[34])
4. *Git.* Varro ad Cic. XI *per omnes casus id nomen ire debere* commeminit. Charis. p. 131.
5. *Palpetras* per T Varro ad Cic. XIII dixit. Charis. p. 105.
6. *Oxo (osso* al.) Varro ad Cic. XIII: *olivo et oxo* putat fieri. Charis. p. 139.

Fragmentis libri XI id solum comprobatur, nominum vocabulorumque quae Varro dicit declinationem eo libro esse comprehensam; eam solam fuisse libri argumentum non discimus. Praeterea si respicis ad locum X 33 p. 563. ‚Huius generis verborum (sc. quae verba tempora habent neque casus, sed habent personas) quoius species

---

[32]) Rure Terentius in Eunucho ‚ex meo propinquo rure hoc capio commodi'. Itaque et Varro ad Ciceronem XXII ‚rure veni'. Quem Plinius ad eundem XI *rure . . . arbustum* dixisse laudat.

[33]) Poematorum et in II et in III idem Varro assidue dicit et his poematis, tamquam nominativo hoc poematum sit et non hoc poema. Nam et ad Ciceronem XI *horum . . . . dici* ait.

[34]) Catinus masculino genere dicitur ut Maecenas in X ‚ingeritur fumans calido cum farre catinus' et hinc deminutive catillus fit, ut Asinius contra maledicta Antonii ‚volitantque urbe tota catilli.' Sed Varro ad Ciceronem XI *catinuli* dixit, non catilli.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exposui, quam late quidque pateat et quoiusmodi efficiat figuras, *in libris qui de formulis verborum erunt*, diligentius expedietur', non uno sed pluribus libris Varronem de verbis temporalibus egisse vides. Denique duo illa libri XIII fragmenta de argumento libri nihil docent, posterius eorum culinam potius quam poesin redolet.

Praeterii reliqua quae Wilmannsius l. c. huc traxit fragmenta; de argumento enim librorum nihil probant. Duodeviginti sunt, quorum duo tantum in libris de ling. lat., unum in libris ad Ciceronem, quindecim nullo libri nomine apposito Varronis esse dicuntur. Ratione vero qua Wilmannsius usus est qui secundum argumentum sibi probabile visum fragmenta incertae sedis et ex libris de l. l. et ex libris universis quos Varro scripsit permultos inter fragmenta certi libri de l. l. collocaret, res per se incerta manet quae est. Rem ita ut nulla dubitatio relinqueretur non esse comparatam vir doctissimus ipse dicit p. 32; de libro duodecimo ob eam caussam tacere quam hariolari mavult p. 35. Sed fragmentis incertae sedis libro cuius argumentum pro certo cognitum non habemus ascribendis neque argumentum librorum certius existit neque fragmentis certior sedes.

De libris XIV—XXV.

Librorum argumentum in universum quidem Varro bis protulit, ut supra monui; sed qua ratione singulis libris id persecutus sit, cum omnes perierint, non traditum est. Quare pauca mihi adhuc dicenda quibus quid doctis hominibus ea de re visum sit comprehenditur. Etenim cum omnis operis de lingua latina tres facere partes Varro statuisset et duae priores partes binarum triadum essent, fuerunt qui etiam hanc tertiam partem totidem habuisse libros atque sex libros postremos quasi appendicem fuisse iudicarent. Itaque Od. Muellerus p. L praef. se dixit nescire, syntaxisne Varroniana tam elaborata et profligata fuisset, ut omnes undecim[35]) libros ad ultimum usque complere potuisset, an scriptor in inferioribus libris ad usum vocabulorum et orationis ornatum et similia argumenta transgressus esset. Ritschelius mus. rhen. nov. VI p. 526 Muellero assensus est, quia nullum aliud argumentum reliquum esset, sed ita ut ultima hexas novam quartam partem effecisset, quam Varro consilio inter scribendum mutato addidisset. Cui utrique viro oblocutus Wilmannsius p. 3 sqq. luculentissime docuit, Varronem syntaxeos disciplina duodecim libros perbene potuisse implere, qui eam non

[35]) Varronis opus de l. l. quattuor et viginti fuisse librorum Muellerus etiam p. XI praef. pro certo sumpsit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

condidisset, sed materiam uberrimam a stoicis congestam invenisset. Qua in re Wilmannsium recte iudicasse eo lubentius contendo, quod fragmento Gelli l. XVI 8 ‚M. Varro in libro de lingua latina ad Ciceronem quarto et vicesimo expeditissime ita finit: *Proloquium est sententia in qua nihil desideratur*' Varronem de argumento tertiae partis, ut vocabula inter se coniuncta sententiam efferrent, omni opere paene confecto disputasse apparet. Ex eis quae praeterea extant fragmenta certae sedis in his libris, quod singulorum librorum fuerit argumentum erui nequit.

Varronis divisiones grammaticae componuntur et cum eis quae hodie sunt in usu comparantur.

Qua in re hoc praecipue teneas, a Varrone declinationes appellari non solum eas quibus nunc nomen est, sed etiam verborum coniugationem, comparationem adiectivorum, omnino vocabulorum cuiuslibet generis flexuram.[36]) Itaque l. X 14 p. 551 sqq. prima eius divisio in oratione est, quod alia verba nusquam declinantur ut vix mox, alia declinantur ut a limo limabo a fero ferebam.[37]) Secunda divisio est de his verbis quae declinari possunt, quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appellat cum unusquivis a nomine alio imponit nomen, ut Romulus Romae; naturam dicit cum universi acceptum nomen ab eo qui imposuit non requirunt quemadmodum is velit declinari, sed ipsi declinant ut huius Romae hanc Romam hac Roma.[38]) De his duabus partibus voluntariam declinationem referri ad consuetudinem, naturalem ad rationem. Quam divisionem ex generali illa declinandi notione fluxisse statim intelliges, cum non modo eadem nominum genera inde oriantur, sed nomina et voluntariae et naturalis partis in eadem formas secundum singulas species quarum sunt commutentur. Tertia divisio l. X 17 est quae verba declinata a natura dividit in partes quattuor, in unam quae habet casus neque tempora ut docilis facilis, in alteram quae habet tempora neque casus ut docet facit, in tertiam quae utraque ut docens faciens, in quartam quae

---

[36]) L. X 77 p. 587: Declinatio est, quom ex verbo in verbum, aut ex verbi discrimine, ut transeat mens, vocis commutatio fit aliqua.

[37]) L. VIII 9 p. 398: Duo enim genera verborum: unum fecundum, quod declinando multas ex se parit disparilis formas, ut est lego legis legam, sic alia: alterum genus sterile, quod ex se parit nihil, ut est etiam vix cras magis quor.

[38]) L. X 51 p. 574: Voluntatem dico impositionem vocabulorum, naturam declinationem vocabulorum, quo decurritur sine doctrina. Cf. VIII 21 p. 406 in not. 31.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neutra ut docte et facete.[39]) Prima pars casualis dividitur in partes duas, scilicet in nominatus et articulos. In articulis duae partes, finitae ut hic et haec, et infinitae ut quis et quae; in nominatibus item duae, vocabulum et nomen, ut oppidum et Roma (cf. l. X 20 et 30). Praeterea in hac casuali orationis parte tria discernuntur genera, virile muliebre neutrum ut albus alba album; deinde multitudo, unum an plura significentur, ut hic hi haec hae; denique casus quorum vocabula ordine quidem non tradita, quoniam l. X 23 p. 557, ubi a Varrone enumerata erant, tres schedulae exemplaris interciderunt, attamen singulatim saepe nominata sunt (vid. quae infra de casuum numero disputavi). Secundi generis, quae verba tempora habent neque casus, sed habent personas, declinatuum species sex a Varrone positae l. X 31 p. 562. Una quae dicitur temporalis, ut legebam gemebam lego gemo; altera personarum: sero meto, seris metis;[40]) tertia rogandi, ut scribone legone scribisne legisne; quarta respondendi, ut fingo pingo fingis pingis; quinta optandi, ut dicerem facerem dicam faciam; sexta imperandi, ut cape rape capito rapito.[41]) Accedere dicit ad has species a copulis divisionum quadrinis, ab infecti et perfecti,[42]) emo edo emi edi; a semel et saepius, ut scribo lego scriptitavi lectitavi;[43]) faciendi et patiendi, ut uro pungo uror pungor;[44]) a singulari et multitudinis, ut laudo culpo laudamus culpamus.[45]) Tertii generis, quae verba declinantur cum temporibus et casibus, quae

[39]) L. VIII 44: Oratio secanda ut natura in quattuor partis: in eam quae habet casus et quae habet tempora et quae habet neutrum et in qua est utrumque. V. p. 32 et not. 46.

[40]) Divisionem generalem Varro VI 37 p. 216 indicat his verbis: ‚Primigenia dicuntur verba ut lego scribo sto sedeo et cetera quae non sunt ab alio quo verbo, sed suas habent radices. Contra verba declinata sunt quae ab alio quo oriuntur, ut ab lego legis legit legam et sic indidem hinc permulta.‘ Deinde inter verba simplicia vel principia discernit et immanem verborum numerum qui antepositis praeverbiis paucis accedat.

[41]) Non praetermittendum, quattuor distingui a Varrone X 32 declinatuum species quae tempora habeant sine personis (verbum impersonale quod dicimus): rogandi respondendi optandi imperandi.

[42]) Cf. l. VIIII 32 p. 478.

[43]) Cf. VIII 60 p. 436. ‚Ne in his quidem quae saepius quid fieri ostendunt servatur analogia.‘

[44]) Cf. VIII 58 p. 434. ‚Praeterea quam ... multa sint contraria ut amor amo seco secor ...‘ Ib. 59 p. 435 ‚Praesertim cum tantus numerus vocabulorum in eo genere interierit, quod dicimus in his verbis quae contraria non habent, loquor et venor ...‘

[45]) Tria tempora tres personae nominatim commemorantur l. VIII 20 p. 405.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a multis ideo participalia (l. VIII 58 p. 434 participia nominantur) vocari Varro refert, quae divisio extiterit, libro X non discimus, cum loco quo hac de re egerat tres schedulae desint. Verumtamen quin secundum tempora digesta fuerint dubitari nequit propter hunc locum libri VIII 58 p. 434: ‚Ab amo et eiusmodi omnibus verbis oriuntur praesens et futurum, ut amans et amaturus; ab eis verbis tertium quod debet fingi praeteriti, in lingua latina reperiri non potest.... Sic ab amor legor et eiusmodi verbis vocabulum eius generis praeteriti temporis fit, ut amatus...; neque praesentis et futuri ab his fit.' Postremo quarti generis, quae verba neque tempora neque casus habent, nulla ad nos pervenit divisio, de quibus omnis disputatio tribus illis perscripta fuerit schedulis quas perditas esse modo dixi.

Divisiones commemoratas Varro initio libri X omnes deinceps recensuit, ut quibus in verbis quaeri debeat analogia doceret; ubi libris prioribus eas posuerit, suo loco annotavi. Sed paucae aliae sunt divisiones et voces quibus Varro praeter eas usus est. Libro VIII 44 p. 424 posteaquam singulas orationis partes quattuor esse dixit secundum tertiam illam divisionem, has vocari tradit a quibusdam appellandi dicendi iungendi adminiculandi; appellandi ut homo et Nestor, dicendi ut scribo et lego; iungendi ut scribens et legens;[46]) adminiculandi ut docte et commode. Ib. 45 p. 424 appellandi partes quattuor esse ostendit, e quibus dicta essent a quibusdam provocabula ut quis quae, vocabula ut scutum gladius, nomina ut Romulus Remus, pronomina ut hic haec. Duo media dici nominatus, prima et extrema articulos; primum genus esse infinitum, secundum ut infinitum, tertium esse finitum,[47]) quartum ut finitum; haec singulatim triplicia esse debere quoad sexum multitudinem casum. — Praeterea l. VIII 52 p. 430 vocabulorum quae Varro proprie appellat declinationum genera quattuor indicantur: unum nominandi ut ab equo equile, alterum casuale ut ab equo equum, tertium augendi ut ab albo albius, quartum minuendi ut a cista cistula. — Lib. VIII 79 p. 450 de

[46]) Haud cunctanter codicum lectionem corruptam reiciens sic scripsi egregiam *Zippmanni* secutus coniecturam quam a. 1869 lib. schol. gymnas. oppidi *Schneidemuehl* argumentis certissimis firmavit. Virum doctissimum, patriae ab hostibus insolenter vexatae debita iura reddentem, nocturno impetu in vicum franco-gallicum *Danjoutin* prope arcem *Belfort* initio huius anni mortem obisse eam quidem honestissimam sed praematuram, studiisque quibus totum se dederat, ereptum esse vehementer doleo.

[47]) Quod codices tradunt *effinitum* sine dubio repudiandum; *finitum* quod Spengelius l. c. suasit, vera lectio videtur esse et congruit loco l. VIII 80 p. 451: ‚Sequitur de nominibus quae differunt a vocabulis ideo quod sunt finita ac significant res proprias ut Paris Helena, quom vocabula sint infinita ac res communis designent ut vir mulier.'

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hoc postremo genere agens magnitudinis vocabula dicit posse esse terna, ut cista cistula cistella; ib. 17 p. 404 discrimina tertii generis esse propter incrementum quod maius vel minus in his esse possit, ut a candido candidius candidissimum. — De verbis compositis v. p. 10 sq. — Nomen commune est, si eadem vox duo significat, ut Argos est homo et oppidum, Meto nomen et verbum. Cf. VIIII 89 p. 523.

Varronem his divisionibus omnes orationis partes neque digessisse in nomina verba particulas, quae nunc est universa earum divisio, neque potuisse digerere, cum quamlibet vocabulorum mutationem declinationis nomine comprehenderet, apparet. Nihilo magis novem quas nunc solemus singulas distinguere posuit. Omnino quot distinxerit singulas cognitu difficile est, quia non omnia quae ea de re scripsit ad nos pervenerunt; generatim autem quattuor eum statuisse tertia illa divisione evincitur.

Substantiva quae dicimus, nominatus Varro appellavit atque in vocabula et nomina digessit quae appellativa et propria dicere consuevimus.

Genus vocabulorum triplex discernitur: virile muliebre neutrum. Nomina nunc usitata masculinum et femininum non inveniuntur.

Numeri quos dicimus (apud Varronem enim hac vi non legitur) duo apud eum sunt, singularis et multitudinis [species]; pluralis vocabulum nusquam occurrit.

Casus sex posuit Varro et praeter ablativum genetivumque eisdem quibus nunc utuntur homines grammatici vocabulis designavit.

Declinationes quas proprie dicimus quinque non distinguuntur. Namque praeter locum X 62 p. 579, de quo infra disputabitur, nihil quod huc pertineat reperies. Divisio autem quae hoc loco est, quamquam quinque exitus diversos ostendit, tamen ab ea quae nunc est nonnihil abhorret.

Nominum adiectivorum nulla est divisio; tres vero gradus sunt discreti eisque ‚discrimina propter incrementum' et ‚augendi declinatio' nomen datum.

Pronominum quae proprie a nobis dicta, a Varrone autem in universum ‚articuli' sunt appellata, duo inveniuntur genera: provocabula ut quis quae, et pronomina ut hic haec. Alterum genus infinitum, alterum ut finitum vocatur et seiungitur. Accedit quod Varro l. X 30 p. 561 de quinque eorum generibus loquitur, quorum duo prima habeant eadem, quod sint et virilia et muliebria et neutra; et quod alia sint ut significent unum, alia ut plura; et de casibus quod habeant quinos. Cum vero temporum iniuria acciderit, ut tres schedulae quibus ea de re scriptum fuerat interciderint, accuratius in ea re versari non licet. Ceterum Varro in hanc grammaticae partem ut in reliquas saepius animum intenderat, e. gr. libro de grammatica, qua de re evolvas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Wilmannsi librum p. 110 sqq. Sed libris de lingua latina pronomina provocabulis opposuisse Varronem et articulorum nomine comprehendisse locus X 45 quem supra attuli docet.

Numeralia neque in singulas species digesta neque singularis orationis pars habita sunt. De systemate quod dicimus numerorum cardinalium Varro pluribus disseruit libro VIIII 86 p. 520 sq., ubi haec leguntur: ‚Numeris antiquis omnibus est una novenaria regula, duo actus, tres gradus, sex decuriae, quae omnia similiter inter se respondent. Regula est numerus novenarius, quod ab uno ad novem cum pervenimus rursus redimus ad unum, et hinc et novem et nonaginta et nongenti ab una sunt natura novenaria: sic ab octonaria et deorsum versus rursus ad singularia perveniunt. Actus primus est ab uno ad nongenta, secundus a mille ad nongenta milia. Gradus singularis est in utroque actu ab uno ad novem, denarius gradus a decem ad nonaginta, centenarius a centum ad nongenta. Ita tribus gradibus sex decuriae fiunt, tres miliariae et tres minores. Antiqui his numeris fuerunt contenti.‘ Quae secuntur sunt obscuriora, cum Varro ad delicias analogiae redeat et nonnulla perdita sint.

Verba proprie a nobis dicta libro VIII vocabula dicendi, l. VIIII verba temporalia, lib. X verborum genus quae tempora habent neque casus, nominantur. Tres in eis personae, duo numeri, sex tempora (infecti enim et perfecti tria tempora), duae formae, activa et passiva, ex divisione faciendi et patiendi. Deponentia quae dicimus, verba quae contraria non habent dicuntur. Modorum ratio non congruit cum nostra. Indicativus enim quem dicimus, rogandi et respondendi specie continetur (*ne* enim syllaba detrita nihil discriminis est in formis), coniunctivus optandi, imperativus imperandi nomine; infinitivus singulatim non positus, item neque gerundium neque supinum. Participia vero inter quattuor principes orationis partes rettulit Varro triumque temporum ratione divisit. Quattuor coniugationum discrimina non exposuit, licet verba temporalia transitu dissimilia fieri lib. VIIII 108 p. 537 demonstrarit.

Particulas neque hoc nomine appellavit neque in eas quae hodie referuntur partes distribuit. Rem vero non semel attigit. Cf. ll. cc. VIII 9 VIII 44 X 14 X 17. Praepositionibus praeverbiorum nomen est lib. VI 38 p. 217. Eodem libro 63 p. 240 praepositionis nomen in plurimis libris mss. legitur. Sed lectio incerta, cum Florentinus propositionis verbum tradit, unde Spengelius coniecit, fortasse scribendum ‚e propositione putandi.‘ De alio earum nomine vid. Wilmannsi l. l. p. 113. Cf. quae H. Usener in Mus. Rhen. nov. XXIV (1869) p. 95 sqq. et not. 15 p. 112 scripsit. — Interiectiones neque hoc neque alio nomine Varro protulit; libro V de sermone latino

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad Marcellum de eis scriptum fuisse, testis est Charisius p. 241, 27. Cf. Wilmanns. l. c. p. 73 206.

De casuum numero.

Utrum quinque an sex casus distinxerit Varro disputant. Varronem stoicos ut saepissime secutum quinque posuisse casus procul dubio videtur esse, si respicis ad ea quae libro VIII 16 p. 403 vulgo sic leguntur: ‚Propter eorum qui dicunt[48]) sunt declinati casus, uti is qui de altero diceret distinguere posset quom vocaret quom daret quom accusaret: sic alia eiusdemmodi[49]) discrimina quae nos et Graecos ad declinandum duxerunt. Sine controversia sunt quinque.‘[50]) Propter hanc lectionem usitatam in eis quae secuntur: ‚Quis vocetur ut Hercules, quemadmodum vocetur ut Hercule, quo vocetur ut ad Herculem, a quo vocetur ut ab Hercule, quoi vocetur ut Herculi, quoius vocetur ut Herculis‘ Spengelius verba *a quo vocetur ut ab Hercule* uncis inclusit ut spuria; Muellerus eadem sustulit, quae proximis de quinque casibus dictis plane contradicant; Wilmannsius l. l. p. 12 omnia expellenda opinatur, licet in omnibus libris mss. (praeter cod. *B* Spengeli, quem librum is valde interpolatum et correctum dicit praef. p. XVIII) inveniantur. — Sed alii sunt loci, quibus sex casus distinxisse Varronem efficitur. — Libro VIII 63 p. 438 haec leguntur: ‚Alios (nominatus et articulos) habere unum solum (casum) ut litteras singulas omnes[51]); alios tris ut praedium praedii praedio; alios quattuor ut mel mellis melli melle; alios quinque ut Quintus Quinti Quinto Quintum Quinte; alios sex ut unus unius uni unum une uno.‘ — Libro VIII 65 p. 440: ‚Sic (scit. analogiam sequentes) Graeci nostra (vocabula) senis casibus, non quinis dicere debebant.‘ — Lib. X 30 p. 561 de articulis Varro haec dicit: ‚De quinque enim generibus

---

48) Muellerus ita scripsit, ex orationis membro, cui hoc respondet, vocabulum *discrimina* huc trahi posse ratus. — *dicuntur* Flor. aliique. — *dicunt usum* coni. Vertranius. — [*Propter eos tum qui*] *dicunt* scr. Popma. — *dicunt naturam* optime coni. Wilmannsius l. l. p. 11, locum VIII 14 p. 402 secutus; ellipsis enim durior videtur quam quae ferri possit, cum verba, unde vocabulum discrimina vel natura trahere oportet, nimis longe absint.

49) Scr. Muellerus. — *eiusdem* Flor. — *equidem* al. — *quidem* Vulg. Vertran. Sciopp. — *eiusmodi* Spengelius. — In *eiusdem* quod Florentinus habet mihi videtur latere lectio *eius generis.*

50) *Quiquae* Flor. et supra *Θ*, lectionis mendum indicans.

51) Cf. X 82 p. 590: ‚Si unum solum habent casum in voce, quod non declinentur, ut litterae omnes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duo prima habent eadem, quod sunt et virilia et muliebria et neutra; et quod alia sunt ut significent unum, alia ut plura; et de casibus quod habent quinos: nam vocandi voce notatus non est.' — L. X 62 p. 579: ‚Sin ab singulari quis potius proficisci volet (principium analogiae ponens), id illum facere oportebit ab sexto casu qui est proprius latinus; nam eius casuis litterarum discriminibus facilius reliquorum varietatem discernere poterit, quod ei habent exitus aut in A ut hac terra, aut in E ut hac lance, aut in I ut hac levi, aut in O ut hoc caelo, aut in U ut hoc versu.' Vides igitur et sex casuum formas distincte commemorari et sextum casum proprie dici, praeterea Varronem vocabulo casus uti duobus modis, ita ut et sit quivis vocabuli exitus in parte casuali (ideo alia singulos alia plures habere dicit casus, etiam de communi casu loquitur VIII 46 p. 425, ubi Spengelius recte vidit *ovis* esse scribendum) et is qui certae interrogationi respondeat vel rationem quandam in enuntiato designet (Huc pertinet locus VIII 66 p. 440: Quae [analogia] si esset, negant ullum casum duobus modis debuisse dici; nam sine reprehensione volgo alii dicunt in singulari hac ovi et avi, alii hac ove et ave). Itaque non modo sex casuum explicationem et enumerationem libri VIII 16 totam Varronis nec quidquam expellendum esse, sed etiam illud *quinque* quod in Florentino aliisque codicibus non legitur, spurium et corruptum existimo. Scribendum potius: [Sine controversia sunt] *in usu* vel *utique*. Tali modo et huius loci tolluntur difficultates et Varronis verba cum eis quae reliquis locis leguntur conveniunt. — Ceterum l. c. duplicem casuum enumerationem quam Wilmannsius l. c. premit Varro non dedit, sed initio generatim de casuum ratione locutus singulos rettulit vel, si placet, casuum explicationi enumerationem adiecit. Similiter paragrapho insequente, postquam in verbis ut prudens candidus strenuus discrimina propter incrementum esse dixit quod maius vel minus in his esse posset, ea singula ponit. Quod praeterea hoc loco non de eo qui vocetur agi debuerit sed de eo qui vocet, reiciendum: etenim Varroni de casuum discriminibus agenti utut optime visum ea explicare licebat. — Denique fragmentum quod apud Diomedem et Priscianum legimus et Wilmannsius l. l. p. 223 (nr. 111) incertae sedis iudicavit, loco X 62 certam habere sedem breviter moneo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf